



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibus, Qvarvm permultæ antehac nunquam
in lucem prodière

Complectens Sanctos Mensivm || Ivlii Et Avgvsti

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10261

De S. Kanuto rege Danorum, & martyre.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77405)

DE S. KANVTO DANORVM REGE ET
MARTYRE, EX SAXONE GRAMMATICO,
*Historie Danice Lib. XI. Capitula ad mar-
ginem adiecimus.*



VENIAM nunc ad Kanutum Suenonis filium, qui pro-
pitia fortunæ beneficio, summis naturæ dotibus cumula-
tus, magno cum indolis experimento ætatem animo
præcurrit. Quippe contracta iuuentute, myoparonum
piratica monstra perdomuit, Sembicis atque Estonicis
illustrem trophæis adolescentiam egit, nouisque virum
gradibus, paterni roboris fundamenta transcendit. Quæ
victoria futurum eius dominium ominata est. Pro ampli-
ficanda tuendaque patria iuges excubias gessit, rerum-
que, quarum ob infirmam ætatem vix spectator esse po-
tuit, author haberi præsumpsit. Quinetiam iuuenile cor-
pus continuo vsu ad bella impigrè conficienda, armaque viriliter sustinenda firmabat,
famaque eius bellica vi in tantum claritatis excessit, vt rediuuium magni Kanuti spiri-
tum fortunamque simul cum nominis videretur communionem sortitus, aded vt nul-
lus eum paterni regni successionem potiturum ambigeret. Neque enim virtute iam
maturus, honori intempestius videbatur. Sed nec liberalitatis species, eius adole-
scentiæ defuit: cuius fratrem Haraldum natu maiorem, obtusi admodum cordis, in-
ter iuuentæ initia perpetuus inertiae sopor oppressum tenebat.

Suenone autem defuncto, regiæ successionis delectum anceps popularium senten-
tia pertractabat. Maior nanque Danorum pars, memor quantis per Kanutum priua-
tæ adhuc fortunæ periculis obiecta fuerit, grauiora, si regnum indueret, verita, ma-
ligna virtutis interpres, quod gloriæ eius accrescere debuerat, iniquissima meritorum
æstimatione damnabat, eleuata virtutum præmijs, clarissima eius opera repulsæ tur-
pitudine rependendo. Igitur vt hunc negociorum metu perosa, ita Haraldum ocij
cupiditate complexa, audaciæ hebetudinem prætulit, ignauumque sibi regem maluit
imperare, quam fortem. Quamobrè egregiæ indolis claritate contempta, nega-
tum virtuti culmen vitio tribuere non erubuit, repulsæ fortitudine, inertiam honori-
bus insecuta. Verum hunc ingrata mentis habitum fucosa rationis specie colorabat,
Haraldum perindè ac natu maiorem, ipso naturæ iure regno debitum certans. Ge-
nus affectionis inusitatum: hunc virtus inuisum, illum vitium probabilem fecerat.
Soli Scanienfes, iusta animi inclinatione prouecti, Kanuti probitate culta, Haraldus de-
sidiam respuebant. Porrò Haraldus plerosque fraternæ partis fautores, legum emen-
datione liberiorisque vitæ iucunditate promissa, per subornatos in gratiam suam so-
licitandos curauit. Ità à Kanuto vulgi animos partim spes, partim metus auertit. Ipse
deficientibus à se copijs, tribus duntaxat rostratis nauibus in angustiissimas Scanici
maris fauces elabitur, regno carere iussus, cuius ipse incolumitatem protexerat, ter-
minos auxerat. Vbi fraterna legatione, regni communionem spondente, reuerti
monitus, spretis mandatorum blanditijs, Suediam fugibundus intrauit, perquam
stultum ratus, eius se promissis in fracta fortuna credere, cuius eadem adhuc vigente
minas acceperit.

Mox perindè atque iniuriarum oblitus, intactis patriæ rebus, bellum aduersum
Orientales viuente patre cœptum, enixè prosequitur. Interim Haraldus regnando
biennium emensus, defungitur. Quo mortuo, Kanutus fraternis suffragijs in regni
fastigium reuocatus, Orientale bellum, quod in adolescentia orsus, in exilio auspica-
tus fuerat, accepto folio, potius amplificandæ religionis, quam explendæ cupiditatis
gratia, totis viribus innouandum curabat, cum incrementis fortunæ etiam claritatis
augmentum apprehendere cupiens. Nec antè manum ab incepto retraxit, quam
Curorum, Sembonumque ac Estonum regna funditus delèset. Deindè sublato ho-
ste, nuptias circumspectans, finitimaque coniugia obscura ac dignitate sua minora re-
putans, præfecti Flandriæ Roberti filiam Ethlam in matrimonium aduocauit, ex qua
filius ei Carolus obuénit. Cumque magnatum insolentia solutos hebetatosque pri-
sci iuris neruos adspiceret, omnibus ingenij modis ad reparandam patrij moris disci-
plinam

Iulij 10.

Cap. 1.

Dissipat pi-
ratas adhuc
adulescens.Haraldus
vir obtusi
cordis.

Cap. 2.

Dani Haral-
dum præfe-
runt Kanuto.E regno p-
scribitur
Kanutus.

Cap. 3.

Haraldus
obit, & Ka-
nutus sic
rex Danor-
um.

Iustitia &
seueritas
eius.

plinam connisus, probatoris iustitiæ cultum seuerissimis edidit institutis, contusum-
que & labentem æquitatis tenorem, in pristinum habitum reuocauit. Non sanguini,
non necessitudini, quò minus iustè se gereret, indulgentiam habuit: nullius amicitia
aut familiaritati impunitatem iniuriæ tribuit: sed omnia antiquæ consuetudinis mo-
menta præcurrrens, labefactatum iuris vinculum tenacissimo nexu adstrinxit, ac pa-
ternæ seueritatis vestigia sollicitus vsurpauit, eoque studio grauissimas Maiorū offen-
sas contraxit.

Cap. 4.
Episcopis
primum in-
ter proceres
locum tri-
buit.

Sacris decus suum reddebat: sacerdotia gerentes, gratiæ nutrimentis prosequen-
tur: cumque ab inertibus & rudi populo parum iustam pontificibus venerationem haberi
conspiceret, nè tanti nominis potiores inter priuatos relinqueret, decreti circumspe-
ctioris industria, principum eis confortionem indulgit, ipsisque primum inter pro-
ceres locum, perinde ac Ducibus, assignauit, auctoritatem honore concilians. Proui-
dit etiam, nè tanti officij pondus æquo minor veneratio caperet, inque summa reli-
gionis arce positi, infima cultus conditione vilescerent. Nec solum Pontificibus digni-
tatis incrementa donauit, sed etiam priuatorum Clericorum ordinem benignissimis
decretis adornare studebat. Nam quò cumulatiorem eis honorem redderet, litera-
torum controuersias, vulgaris fori conditione exemptas, ad eiusdem professionis iu-
diciū relegabat. Iisdem religionis reos, obiecta repellere nequeunt, pecuniaria
multa puniendos permisit. Quibus etiam in omnia, quæ aduersum diuina commit-
terentur, animaduersionis arbitrium tradidit, cunctasque huiusce generis actiones,
sacerdotali iudicio destinatas, à publico foro secreuit, nè honore impares conditio
æquaret. Quamobrem dignitati pondus adiecit, decusque priuato fastigio excellentis
eorum respectui inesse voluit. Quo effectum est, vt Danorum nemini, nisi regi aut
pontificibus, ei que, qui potissimus regni successor aduertitur, domesticis quenquam
liceat actionibus postulare. Idem populares, adhuc sacrorum rudes, decimarum religi-
oni assuefacere conabatur. Sed propositi irrita suasio fuit: quippe maturitate rerum
capere nouelli cultus rudimenta nequibant.

Cap. 5.
Sueno Epi-
scopus Da-
niæ.

Nè autem Sueno Episcopus promissam templi refectionem negligentiùs exequi vi-
deretur, cœptam Roschildensis sacrarij fabricam ad finem vsque perduxit. Cuius ex-
colendi gratia coronam, arte impensa que, operosissime elaboratam, in eius ornamentum
appendit, existimans regias opes potius sacrorum splendori, quam humanam
auaritiæ seruire oportere. Egnus quoque iisdem ferme temporibus, opitulante re-
ge, Laurentianæ ædis inchoatum à se opus explicuit. Quibus rex dedicari iussis, mi-
rificam dotis nomine munificentiam erogauit. Nam in æde Laurentiana annua can-
torum stipendia, pontificis subsidio fultus, instituit. Ipse enim partim ex fisco suo
regisque latifundijs, partim antistes ex antè collatis templo beneficijs quotidianos
eorum sumptus exhibuit: tantaque inter ipsos religiosi certaminis alacritas fuit, vt
vter in Deum venerabilior fuerit, incertum extiterit. Prima itaque dedicationis die
Rex solenniter altaria veneratus, quartam regij numismatis, quartam suæ in ciues
exactionis, quartam æstiuæ censûs portionem ei, qui pro tempore loci antistes ex-
titerit, muneris loco perpetuo iure possidendam concessit. Nec parcius priuata Cle-
ricorum iura tutatus, ab eis, qui sacrarij rus excolunt, vniuersum penè regiæ pensio-
nis ius ascriptis chori ministris deferendum curauit. Ceterum * detractæ expeditio-
nis poenas, ac violatæ pacis vindictam, eorumque, qui propinquis vacui decessissent,
hæreditates regij duntaxat iuris esse voluit. Itaque non minorem in edendis templo-
rum priuilegijs, quam præstandis beneficijs, authorem egit. Et vt legibus suis ater-
nitate conciliaret, eas conuellere conaturos Antistitem execrationi subiecit. Cuius
edicti, postmodum à multis temerè pertentati, vetus adhuc ratio perseuerat.

Liberalitas
eius in ec-
clesiis.

for. * detre-
ctatæ

Cap. 6.
Onustam,
pro onero-
sam.

Rex verò cum in omnibus sanctè se industrieque gessisset, præcipue religionis
charitate conspicuum præbuit, nec vnquam remotos ab exactissimo eius cultu ocu-
los habuit. Qui cum fratrum suorum turbam iuueniliter intemperantem patriæ ad-
modum * onustam videret, largis vberibusque stipendijs alitam, vno duntaxat Ola-
uo, Slesuici partibus præidente, in clientelam assumpsit, ac publicum pondus pri-
uato leuauit impendio. Tandem Danorum nomen, armis in desidiam cadentibus,
à paterni auunculi temporibus obrutum animaduertenti, nouarum rerum cupido
subrepfit. Vtque eius animum certius representaret, non contentus studia sua
Orientalibus decorasse victorijs, Angliam infelicitate amissam, hæreditatis duxit no-
mine repetendam. recolebat enim bellicam Maiorum gloriam, cumque opibus
imperij

Vult Angli-
am infelici-
ter amissam

imperij fines nullo magis, quàm Anglicis creuisse titulis, maioremque eis ex vnus armis repe-
 insula, quàm totius Orientis spolijs incessisse splendorem. A quorum imitatione de-
 ficere, stolidi ac degeneris animi esse, satiusque regno carere, quàm inter paruulæ
 telluris angustias inclusum maiestatis vsum habere. Vt ergò negociorum confor-
 mitate, Maiorum fortitudini responderet, operamque eorum studijs consentaneam
 ederet, atque auiti nominis gloriam æquaret, omnium, quæ paterna corrupisset in-
 ertia, refectionem suâ commendabat industriæ, parentemque perofus, auum æmu-
 latus est.

Primum igitur occultum Olauo consilium prodit, eoque idipsum hortante, rem
 deinde popularibus aperit. Alacris omnium assensio fuit. Sed quem rex sibi fraterna
 charitatis vicissitudine respondere crediderat, latenter æmulum habebat, insidiosæ
 que eius adumbrationis ignarus, affectum referri sibi, quem ipse impenderet, æstimã-
 bat. Quem etsi prudentia secus monuit, sanctitas tamen malignam de fratre suspi-
 cionem referre prohibuit, nè consanguineam fidem temerè damnare, inque fraudis
 metu hostes ac necessarios iuxta ponere videretur. Verùm Olauus affectatione regni,
 pietatis erga germanum oblitus, perfidissimi pectoris habitum summa fidei simula-
 tione tegebat, vulgatumque regis propositum non solum adulationibus fouit, sed
 etiam hortamentis instruxit: non quòd potentissimum regnum ab eo recuperari
 posse speraret, sed vt imperata rei difficultatem in odium imperantis conuerteret.
 Enimuerò fratris animum fastidiosè æstimans, pijsimum eius amorem paricidali
 fraude pensabat. Nam cum eum, quòd neglectam antè seueritatem nouis legibus re-
 stituisset, ciuibus inuisum animaduerteret, quòd odiũ eius cumulatus redderet, quod
 publicè displiceret, priuatim exequi simulabat. Et nè solus insidias volueret, lecta so-
 cietate clandestinæ coniurationis cœtum instruxit. nec frustra ingenium fuit. Quippe
 primores, quorum violentia regijs sanctionibus retusa fuerat, paricidali cum Olauo
 propositi consortium habuerunt. Kanutus verò omnium animos gloriæ magis, quàm
 sceleri intentos existimans, imperata classe, Lymici maris oris aduehitur, à quo bre-
 uissimus in oceanum trãsitus patet, quondam nauigijs peruius, nunc verò interiecta
 arenarum mole perclusus. Hic rex fratrum diũ præstolatus aduentum, nauigandi
 cunctatione exercitũ alacritate est excussus. Nam Olauus reddita tarditatis ratione,
 veniendi moram in dies extraxit, commentumque cassandæ expeditionis exagitans,
 alimenta perfidiæ mendaci impedimentorum simulatione quærebat, eò moram tra-
 here cupiens, donè aut Regem sine eo proficiscentem, interim ipse regno priuaret,
 vel tarditate suspensum, exercitu destitueret, Rexque vel desertorum impunitate de-
 spicibilis, vel pœna cunctis inuisus euaderet. Ità & fratrem & dominum aduentũ sui
 cunctatione ludificans, tam vafræ, tamque insidiosæ rationis commento, generosi ac
 fortis propositi molitionem subruere cõnabatur.

Nec eum callida consilij ratio fefellit. Nam tota à Rege classis, fastidita eius expẽ-
 ctatione, defecit. Rerum enim, quæ à fratre gerebantur, ignarus, morantis aduentum
 sæpenumerò mandatis exegerat: cum tandem de eius perfidia certior factus, classẽ
 præstolari iussa, Slesuicum lectissima manu festinatò contendit, ibique fratrem inopi-
 natum & atronitum interceptit. Deinde productum accusatumque, nec obiecta va-
 lidè propulsantem, perindè ac conuictum, impotentemque defensionis, compediri
 à militibus iubet. Qui indebitam regio sanguini contumeliã suis manibus admini-
 strandam negabãt: cuius tanta apud ipsos veneratio fuit, vt ex eo ortos, morte quàm
 vinculis multare mällent, tolerabilius rati, quod communis cõditio admittit, quàm
 quod seruire supplicium exigit. Sed & gentis nostræ verecundia summam in vinculo-
 rum pœna turpitudinẽ reponere consuevit, hisque affici omni fato tristius ducit, in-
 genuas mentes probrorso, quàm cruento supplicio punitiores existimans, tantòq; al-
 terum altero speciosius censens, quantum naturæ habitus à fortuna vitio distare cre-
 ditur. Mandatam militibus operam communis frater Ericus exequitur, plus iusti im-
 perij, quàm iniqui germani respectui tribuendum, nec sanguini parcendum, dum vitia
 puniuntur, existimans. quippe quem virtus defecerit, nullam stirpis reuerentiam ob-
 tinere, animique labe foedum, omnem generis infuscasse splendorem. Igitur non tam
 fratris nomen, quàm paricidæ propositum intuebatur. Adeò sanguinis precium vile-
 scit, cum se moribus ignobilem fecerit. Post hæc rex Olauum catenis coërcitum, na-
 uigioque in Flandriam relegatum, carcerali custodiæ mandandum curauit. Cuius
 captionem coniurati parum fama aut nuncio experti, quò callidius exercitum solue-
 rent;

Cap. 7.
 Olauus fra-
 tris eius in
 Kanutum
 perfidus ani-
 mus.

Olauus cum
 primoribus
 cõspiratio.

Cap. 8.

Olauus à
 Kanuto cap-
 tuit.

Mittitur in
 Flandriam
 Olauus.

rent, inertem regis moram absentiamq; causati, classem clandestino monitu circumuentam, domos abire iusserunt. Quam rem si quis palam exhortatus fuisset, publicatis bonis, aut in exilium agi, aut capitali supplicio affici lege merebatur. Quā ob rem defectionis incentoribus tutissimum visum, ut sine vlllo auctore ipse sibi populus defectionis licentiam vindicaret, nē tam priuatum discessionis crimen, quā publicum haberetur. Tantum autem apud imprōuidam multitudinis temeritatem insidiosā magnatū ratio valuit, quōd plebs non minis eorum auctoritate, quā morā tadio adducta, fidentissimam reuertendi libertatem acciperet.

Perfidia p-
cerū in Ka-
nutum.

Cap. 9.

Cuius facti rex cognitione suscepta, dolorem prius, deinde lētitiā egit. Siquidem iniuriā in religionis habitum formauit, multāq; nomine primam exigendarum decimarum occasionem corripuit, lātatus quōd ei vtilissimā propositi rationem opportunitas conciliāset, suoq; dedecore sacrorum decus instruere cupiens. Cumque magnates Olauum, quem sibi factionis ducem futurum sperauerant, a fratre interceptū audissent, proposita fraude defecti, summam eius dissimulationē egerunt. Itaque rex accersita postmodū concione, docet quantum Danicis armis militaris semper disciplina profuerit, maiorum imperijs a minoribus semper obtemperatum fuisse, regum auctoritatem popularibus inniti suffragijs, principum famam nullo magis, quā militum fide creuisse, eorumque nullius momenti imperium esse, si non plebcijs subsistat auxilijs. Sibi verō nup̄ ignoram regibus contumeliā obuenisse, inusitatae defectionis auctores hebetudinē audaciā prētulisse, auiditate ocij speciosissimā rei negotium subruisse. Adiecit quoque, quanta pecuniā summa ob impium defectionis crimen damnari meruerint, gubernatorum singulis quadragena nummūm talenta, terna remigum vniciūque multā loco numeranda proponens.

Exigit pec-
nam pecu-
nariā a
deietori-
bus.

Nemine collationem abnuente, promissa aris solutio est. Quo cognito, remittere se Kanutus illam exactionem, si sacerdotibus decimas erogare voluissent, edixit. Tunc concio, petita consulendi licentia, paulisp̄ a Rege deliberatura fecedit, an propositis fati fieri conditionibus oporteret. Vtraque exhibitu difficilis aestimata. In soluendo nanque are, complures inopia afficiendos credebant. Decimarum verō pensionem omni auctō celebrandam, aeternam debitoribus infligere seruitutem. Igitur quasi in tristium rerum contextu minus asperā delectum facturis, acerbior viā, cui comes diuturnitas affuisset. Nam cum altera se tantum, altera posteros quoque puniendos aduerterent, praesentem inopiam perpetuo muneri perpetuo muneris. Itaque temporum aestimatione facta, quo sibi tantum, quā quo posteris penam crearent, culpam redimere praoptates, semel are, quā semper libertate, defici maluērūt, iure elicitem, dedecore vacuum: persuasione extortum, probro obnoxium rati. Quinciam annuam alienis frugē dependere, ignominia, non religioni, attinere censebant. A quibus cum Rex deteriorē conditionis partem approbari videret, simulata pecuniē exactione, septentrionales Lutiā partes ingressus, Tostonem cognomine Peculatore, eiusque collegam Hortam, colligendae pensionis quaestores instituit, multā metu decimarum religionem differere cupiens. Iisdem defectorum res, aestimatis possessionum precijs, intactas dimittere iussim. Qui mandatum immitiūs, ac iussi fuerant, executi, iniqua plebem exactione pulsabant. Quam rem aemuli regis in popularium concilio deplorantes, calumniam mendacijs exaggerabant. Veris quoque maiora fingentes, inuisos cunctis reddidēre quaestores. Quippe militum opus, non regis imperium, iudicabant: nec iubentis, sed iussi studium intuebantur.

Nolunt Cl-
ro decimas
perfoluere.

Cap. 10.

Quaestores
regis caedū-
tur.

Quorum instinctu multitudo quaestores adorta, communem iniuriā publica consternatione cohibuit, magis, quid fieret, quā quid fieri iussim esset, inspiciens. Nec eorum cēdibus satiata, in regem quoque vesana prorupit. Qui impetum eius opportunē sua ratus absentia declinandum, Slesuicum concessit, ibique coniugē cum filio constitutam, si res sinistrē celsissent, perfugere in patriam iussim, nullum inter perfidos praesidium habituram. Siquidem intempesium regno herēdē domesticorum arbitrio relinquere verebatur. Igitur Vuandali, solam sibi in armis libertatem restare credentes, fugae eius perindē ac victores insultare coeperunt. Qui cum imminentibus Iutis, & vetera auxilia deficere cerneret, nec noua temporis angustia contrahi sicerent, quō turior secessu foret, Fioniam petit, salutem insulae praesidio quaesiturus: vbi nihilominus indignam religiosissimo spiritu suo violentiam expertus est. Hinc enim Iutis aucta saeuendi fiducia, concitatam multitudinis temeritatem exacuit: hinc grafsandi praesumpta libertas, tristem regi procellam inflixit. Sanē populares, poenae metu

Rex fugit
in Fioniam.

ceptum

coeptum omittere veriti, perseverantiam sceleri exhibendam duxerunt. Neque enim bis laesum poenam noxijs remissurum credebant. Ideoque eius exitium sitientes, ardentissimo odio sanctissimi viri necem petebant: ac veluti veniae desperatione compulsi, hostem tollere, quam ultorem experiri, maluerunt. Nec suis eum finibus exegisse contenti, Fionia quoque propellendum decernunt. Iamque Rex accepto traiectionis nuncio, Sialandiam emigrare statuerat, cum Blacco quidam, primam ipsius familiaritatem adeptus, sed nihilo minus eum occulte perosus, simulatae fidei consilio hortatur, fugam parcat, Othoniensis pagi praesidia expectat, nec foemineo more latebram circumspiciat: se interim plebis acta speculaturum, blanditiasque irae eius oppositum promittit. Quod si plebis animum mitigare nequisset, tanto ante id Regi pronunciaturum, quantum fugam occupanda sat esset. Consilio obtemperatum est. Tunc Blacco, omnia legatione, sinistris plebem monitis palpitans, concilianda gratiae loco, odium Regi impensius struit. Hortatur, quam celerrime calumniae authorem occupent, nec fugacem elabi permittant: oppressionum vindices tyrannum, non Regem, fastidire commemorat: carere culpa, quod honestatis emulatione committitur: patriae tutores, perinde ac pietatis ministros, paricidio exui: priuatum abesse crimen, ubi publicae libertatis vindicta peragitur. Praeterea miserrimos, coepti irritos: copotes, felicissimos fore. His atque consentaneis modis sollicitatio in Regis necem populo, aduersum immeritis caput funestos omnium conatus erexit, eaque actione consternatam amentia plebem, veluti furiali quadam face succendit. Statimque imperus creuit, ubi hortatorem habere coepit. Neque enim temeritatieius constantiam suam obiecit, sed publicae sese dementiae auctorem adscripsit. Igitur incitator seditionis pocella, pestifera eius concione * deferbuit, grauiorque tempestatis incensorem nactus tumultus erupit. Indereuersus, pacatiorem populi animum nunciat: facile consternationis procellam acquiescere, si Rex iram mutuo deponere, reisque poenam remittere voluisset. Quem Rex fidum legationis ministrum ratus, regalis magnificentiae conuiuio excipit, malignumque suae pietatis interpretem donis prosequitur. Utrobique gratia perfidia habita est. Nam Blacco alterna partes vice subiens, corrupto legationis officio, pro mediaatore proditorem agerit coepit, atque ex speculatore sceleris hortator euasit, sinistrum Regis, falso plebis animum interpretatus. Ita pella cis viri mendacium, legationis titulo inuolutum, Regem pariter ac populum fefellit: hunc, ne imminentem vitaret: illum, ne parceret expectanti.

Blacconis
in se perfi-
diam expe-
ritur.

* efferbuit
legendum
puto.

Eccè tibi
insignem
proditoris,
Iuda nequi-
orem.

Eundem die postera Rex prioribus paria pollicentem, ad speculanda seditionis acta dimittit, communemque hostem, inter se & vulgum creandae pacis authorem assumpsit. Nec solita legato perfidia defuit: cuius pestiferis monitis instigata plebs, vehementius aduersum Regis caput consternationem destrinxit. Kanutus interim quotidianis sacrorum * solennijs assuetus, ne quid religioni praeponeeret, Albani aedem sacram, pro se deprecaturus, accedit. Quippe precibus Deum, quam hostem armis, ne quid charitati detraheret, aggredi praepitauit: ubi dum religioni vacando officia sanctitatis exequitur, consternatae multitudinis corona armis sacrarium clausit. Quotquot ergo ex militibus hostem praecurrere poterant, periculi consortium affectantes, Regem petebant, eius in seipsos discrimen transfundere cupientes: cumque salutem secessu consequi possent, periculum praesentia quasi erunt, morteque clari, quam fuga tuti fieri maluerunt. Quanta porro humanitate clientelam hanc abundasse credemus, quae, ne infelicem domini fortunam desereret, periculo sese, quod vitare licebat, opposuit, inque magna fugiendi copia salutem Regis, quam suam, tueri satius duxit? Benedictus quoque fraternitatis nexum fide imitatus, in templo cum fratre commori destinauerat. Ericus vero seorsum ab hoste conclusus, cum solus multitudinem sustinere nequiret, per medios hostium globos, ferro secessum molitus, erupit. Tunc nemine religiosa pacis domicilium violenter irrumperere praesumentem, primus Blacco cunctantibus ceteris, ferro valuas petiuit, ductaque suo eandem cunctis licentiam tribuit. Ita se non sacrilegij modo, sed etiam publici paricidij ducem authoremque exhibuit. Quod videns plebs, concitato seditionis motu templum aggreditur, eoque irruptione facta, diuinos lares ac sanctissima penetralia sacrilega tempestate foedauit. Verum Blacco in ipso, quem irruerat, aditu trucidatus, datis paricidij piaculis, violati sacrarii poenas pependit: mors eius, interfectoris exitu vindicata est. Iraque alterius faro scelus, alterius pietas causam praebuit. Crediderim tunc pium cruorem paricidali permixtum, separatis fluxisse meatibus, atque sine vlla riuulorum comunione hinc sacrum,

Cap. II.

* solennijs
legendum
arbitror.

Praeclara
militum fides
in regem.

Poenae sceleris-
simi pro-
ditoris.

in dè scelestū sanguinem, diuidis alueis incessisse. Benedictus liminibus irruptorem excipiens, dum foribus acrius propugnat, occiditur.

Benedictus regis frater trucidatur.

Cap. 12.

Rex confiteretur Sacerdoti factorum arcana.

Pius rex ab impijs inseruitur.

Fugit Regina in Flandriam cum filijs.

Cap. 13.

Miracula S. Kanuti inuidia plebs obscurare conatur.

Multa edit post obitū miracula sanctus rex.

Rex ipse inter cruentos imminentis violentiæ strepitus fidutiæ conscientia eūdem mentis habitum tenuit, neque religioni parcius, quàm si periculum abesset, vacauit, nè plus ab eo timoris quàm constantiæ viribus indulgeretur. Sed ne extrema quidem eius hora, sanctitatis studio vacua fuit. Nam cum parietē vndiquè à popularibus perfringi, (quippe ligneus erat) ideoq; propinquam sibi necem instare animaduerteter, accersito sacerdoti factorum arcana confessus, per summam mororis acerbiterat præterita vitæ culpas absoluit, præmiūq; sibi poenitentia salubritate conciuuit. Tantum enim in innocentia sua fidutiæ reposuerat, vt mortem non periculo oppressus refugere, sed metu vacuus, appetere videretur. Quinetiam propassis vtrinq; brachijs ante aram, sati securus occubuit. Vbi dum victimæ more prostratus percussorem expectat, immissa per fenestram lancea mortifico iactu confossus, pium mortis sacrificium edidit, profusoque milirum sanguine, suum ad vltimum erogauit. Enimuerò crebris vndiquè telis petitus, corpus immobile tenuit, nec antè loco, quo cubabat, excessit quàm feretro mandaretur extinctus. Ex cuius sanctissimis vulneribus plus gloriæ, quàm cruoris effluxit: quippe præsentis vitæ exitu initium melioris accepit, hostili iudicio punitus, diuino seruatus. Felix eorum paricidium, qui què terrestrium virtutum orbe exemerant, cælestium vñibus applicabant; cadaque & fragili potentia spoliatum, solida atque æternæ felicitatis cōpotem stauerunt. Sed & clandestina eius virtus perlucidis postmodum experimentis enituit. Hæc audiens regina, patriam cum filio impubere repetit, geminis post se relictis filabus: ex quibus Ingertha Folconi Suedicæ gentis nobilissimo nupta, Benedictum Kanutumque filios habuit: ipsidemq; mediantibus, Birgerum, qui & nunc extat, Suediæ Ducem cum fratribus suis nepotem accepit. Verum ex Cæciliæ matrimonio Ericus Gotthorum præfectus, Kanutum cum Carolo procreauit. Ex quibus generosissimarum imaginum numerosa posteritas, clara propinquitatis serie cohærens emerit.

At populus perēpto rege exultans, quod scelus deslere debuerat, insultatione prosequi voluptatis loco reputabat. Qui cum paricidio pietatis causam prætexeret, idq; tyrannicidij nomine coloraret, militem suum Deus mercede fraudari non passus, arcanam sanctissimi viri innocentiæ manifestis publicauit indicijs, eximioque vitæ eius splendore etiam clara mortis ornamenta concessit. Sanè ad coarguendam paricidarum malitiam, puniti merita miraculosè prodidit argumentis, ignotamq; vulgo virtutem mirifico rerum fulgore detexit. Quorum plebs admiratione percussã, virtutis inuidiam egit, conspicuamque signorū experientiam diu nequicquam insulcare tentauit. Veteris nanq; inuidiæ fremitu, ac pristinis odij viribus pertinaciùs exandescēs, adduci non poterat, vt diuinis honoribus coleret, quem ob scelus à se interfectū putaret, rem cælitus declaratam, humanis argumentis abnegare conando. Quanquam enim damnatos à se mores, cælesti iudicio comprobatos videret, ad dissimulandam tamen occultandamque miraculorū fidem, iustam cædis causam fingebat, firmãque facti tuitionem retinens, sententiæ suæ perseuerantissima propugnatrix existere non erubuit. Nec vita regem spoliãse contenta, etiam sati laudibus exuere conabatur, cuius lucem extinxerat, famam quoque sepelire connisa. Sed humanis tenebris diuinus splendor inuolui nō poterat: quippe miraculorū nitor, dubietatis caliginem clara rerum luce pellebat. Nam sanctitatis eius medela, varias imbecillitatum affectiones, remedium salubritate profecuta est. Cumque obtrectantium liuor crebrescentibus signis virtuti cedere cogeretur, nec fidem vitæ frustrari quiuisset, in facti tamen defensione persistens, sanctitati quidem assensit, sed eam non tam ex præterita vitæ meritis, quàm vltimi temporis poenitentia profectam adstruxit. Ità & iustã facti causam prætexuit, & vita cassum honore donauit. Siquidem dignè Regem perisse, sed pium lachrymis euasisse dicebat, intentionem eius, auaritiæ, quàm religioni, propiorem existimans. Cuius erroris non paruas postmodum poenas pepedit. Sed & posteri, paternam redolentes inuidiam, sanctitatis eius famã non moribus, sed lachrymis imputãt, præsentique incredulitate præterito se errori implicant, neque adduci possunt, vt ipsius beatitudinem, deposito odio, sincerè æstiment. Verum sacra eius oppidulo orta, toto penè terrarum orbe fulserunt, cultusq; ipsius primùm à ciuibus exceptus, paulatim in commune prorepit. Cuius tam vitæ, quàm miraculorum virtutem priuatim Othoniensibus venerandam, publica eam religio consecrauit. Sed & cælestem eius

eius spiritum ad hoc vsq; tempus felix signorum fortuna prosequitur. Hinc est, quòd Kanutus diuinitatem animi immortalitate potitus, vt terrestribus patriam patrocinijs atollere studuit, ita caelestibus protegere non desistit. Ideoque sanctitas eius, gloria & celebritatis fructu opulentissima, splendidum in Fastis locum obtinet. Quinetiam salutare effectus suos quotidianis administrat iudicijs, malitiamque patriæ, beneficijs pensat. Nam virtutum eius insignibus omnis ætas Danica gloriabitur. Talibus illustrationis radijs sanctorum fatis claritas erogatur, cum caelesti beneficio mortalis liuor opponitur.

Interfecto Kanuto, luti inique societatis pertinacia singularem Olavi gratiam amplectentes, creari eum Regem alacerrimis petiùere suffragijs: hunc sibi plurimùm gratiæ relatum sperantes, cui tanto regnum discrimine quesuissent. Neque eius fratribus hunc honorem eximio Kanuti amore suspectis erogandum duxerunt. Igitur pecunia pacta, Nicolaum communem tam præteriti quàm futuri Regis germanum, vadem pro eius redemptione dederunt, receproq; regnum imponit. Nec paruum Nicolaus fraternæ charitatis specimẽ edidit: siquidem fraternas induere carenas, suisq; vinculis germano regnum emere non dubitauit. Quod audiens Ericus, contumeliæ memor, quam ei communis fratris iussu inflixerat, vltionis metu cum coniuge Botilda, quæ Vliioni Gallitano ex filio Trugoro neptis obuenerat, Suediam petiuit. Dani verò, collato certatim ære pro sponsoris reditu, pactam creditori pecuniam numerarunt. Quem Flandrensi custodia liberatum, infesta paricidis fortuna veluti cladẽ aliquam nostrorum abundantia ac fertilitati iniecit. Nam cum Dani noui Regis inijs applaudentes, pristina ruinae pro caciùs insultarent, criminosis semper infensa diuinitas, nè diu scelus impunitate floreret, petulantiam penuria rependere voluit, cõmuniq; inopia, publici paricidij victa exegit pãcula. Vt enim non in singulos modò, sed vniuersos animaduerteret, summa aëris intemperantia annorum, quibus Kanutus regnum gesserat, numerum adæquauit, caelestiq; robore humana vi maiorem edidit vltionem. Quippe verni æstiuque temporis feruore satum omne coaruit: autumnale verò adeò pluuium fuit, vt si quid locorum humilitate palustrive madore alitum succreuisset, perseveranti imbrium inundatione decideret, quanquam contrarium celi habitum humanæ commoditatis ratio flagitasset. Igitur opportuno solstitiũ humore caruit, eundemq; sine modo profusum, siccum amas Sextilis excepit. Tunc planè camporum facies caelestibus imbribus inundata, latè patentis stagni speciem præbere cõspecta est: ita quod æstas agrè genuit, autumnus oppressit: tantaq; temporũ intemperies extitit, vt nec imber æstus leniret, nec æstus imbris illuuiem temperaret. Quinetiam agrestes, aquis campos regentibus, supernantia spicarum capita demetentes, nauiculis excipiebãt, ac deindè putres aristarum reliquias fornacibus igni percalefactis exiccandas mandabant: sicq; eas molæ subijcientes, quia panem præstare nõ poterant, in vsum pulvis vertebant. Quamobrẽm tanta ciborum penuria incessit, vt maxima populi pars, alimentorum inops, inedia consumeretur.

Ea res locupletes inopia, pauperes morte multauit: maioresq; ære, minores spiritu spoliavit. Nam diuitem populus, non suppetentibus alimentis, auro argentoque salutarem comparauit impensam: pauperum verò gregem, tam census quàm dapibus inopem, horrida pãssim fames absumpsit. Rex ipse ad vltimam tabem adactus, plurima fruge latifundia permutabat, agrisq; vãnire iussis, alimenta possessionum precijs comparabat. Nobilibus in eundem vsum ingenuitatis insignia erogare, rubori non fuit. Enimuerò abundè seges finitimis erat, vt priuata gentis, non publica terrarum, vltio videretur: Quæ tam dira clades conuictum populi animum, sanctitatem, quam antea detrectauerat, fateri coëgit, deq; celsitudinis eius contemptoribus veneratores effecit. Sanè tam euidentis pœna, alijs fruge abundantibus, Danis priuatim ingruens, & paricidarum noxam, & perempti innocentiam liquidò argumentata est. Hanc pestem Sueno pontifex, cuius summa apud Danos autoritas erat, populo paricidij pœnitere præmonito, incessuram prædixit. Quippe in plebem pius, in Deũ venerabilis habebatur, religionemque attentiore cura, conciones præstantiore facundia celebrabat: ita fauore omnium occupato, arcem in nostros autoritatis atq; eloquentiæ fastigium possidebat. Subiectorum mores non solum dictis, sed etiam serenissimis operum informabat: nec voce, quàm mente, concinnior fuit. Idem perfecta Trinitatis æde, in exedificando eius ambitu Kanutũ religiosi operis socium habuit. Nec minorem in extruendis Mariæ sacrarijs operam gessit. Quippe vnum in

Cap. 14.
Ex lib. 12.
eiusdẽ Saxoniæ.

Olauus in regno succedit.

Vltio iniuncta in Danos paricidas.

Cap. 15.

Sola Dania penuria laboratannonæ.

Suenonis Episcopi vaticinium, & præconia.

vrbe, alterum Ryngstiadis enixè molitus, tertium Michaëlslagosæ condidit: ad eò se sanctorum penetralium singulari cultu flagrare mōstrauit. Nec domestica sanctitate contentus, augmentum eius foris petere, arrepto peregrinandi labore, constituit. Cumq; Hierosolymam proficiscens, Byzantium peruenisset, contracta varij generis ornamenta, cum sacrorum cinerum reliquijs in necessarios vsus domestici templi remittenda curauit. Sed cuius Græcia pietatem vidit, mortem Rhodos adspexit. Isdem ferè temporibus, absumpto Richaldo, Ascerus, mortum generisq; splendore eximius, Lundensi potitur sacerdotio. Olauus cum bis penè lustrum regnando cōdidisset, inter cōtinuas rei familiaris angustias, nihil regali magnificētia dignum ex equi poterat.

Olauus obiit.

CONSTANTINI SANCTISSIMI EPISCOPI TH
ORATIO DE INVENTIONE PRECIOSARVM RELI
quiarum sanctæ & in primis benedictæ Euphemie. Habetur
in Simeone Metaphraste.

Iulij 11.
Sic enim
collocatur
à Metaphraste.
Cap. 1.



ENIO afferēs quod iussisti, o sanctissime pater & amator omnis boni desiderij, & rudis mei ingenij perditor, fretus vestris sanctis precibus. Nō enim sum idoneus ad hoc aggrendendum, vt qui sim rudis & ignarus, plenusq; rusticitate. Sed semper timens periculosam pœnam inobedentiæ, & damnosum ducens paternis nō obedire præceptis, optimis vestris fretus precibus, quæ ex viris pijs audiui, & quæ sum proprijs contemplatus oculis, ea scribēs, aggredior ad scribendum, quomodo in exteros fines exportatæ fuerint reliquiæ in primis benedictæ martyris Euphemie, exciderintque, & rursus fuerint inuentæ & reportatæ: vt cognoscat generatio altera Dei magnalia, quæ non cessat ipse, ab alto petita origine, in hodiernum vsq; diem dispensare, ad laudem & gloriam eorum, qui ipsum timent, dedecusque & ignominiam eorum, qui audent latrare contra gloriam suorum sanctorum.

Cap. 2.
Leo Imp.
Iconomachus.

Psal. 113.

Sacras reliquias infertur.

Cap. 3.

Accidit annis præteritis, vt Dei permissione regnaret impurus & profanus Leo ex gente in faustorum Isaurorum. Qui cum non sanctè, nec piè Regnum arripuisset, cepit latrare aduersus Dei Ecclesiam, & prætextu pietatis, dum idola vocat & eis assimilat, venerabiles frangere imagines, dicens sui similibus & execrandis hominibus, & eos docens ea esse, de quibus dicit Propheta: Os habent, & non loquentur. Quamobrēm sanctissimum quoq; patrē nostrum Germanum Patriarcham, vita & sermone resplendentem, impudentia & flagris vsus, è sede eiecit: & nō solum in venerandis imaginibus suam non compefcuit blasphemiam, sed etiam eorum, qui propter Christum subiēre martyrium, reliquias est aspernatus, ostilatas eos appellans, qui nocturnis vacarent vigilijs. O audaciam, o impietatem, o contumeliam. Quis non admirabitur, quis non stupebit eam, quæ tunc fuit, Dei patientiam?

Sed ad propositū redeat oratio, & dicat de clara & benedicta Christi martyre Euphemia. In eius ergo templo, quod est prope id, quod dicitur Hippodromium, erant eius sanctissimæ reliquiæ integræ, intactæ & illasæ. E Chalcedone enim cū arca translata fuerant Constantinopolim propter eam, quæ tunc fuerat, Persarum incurSIONEM. In arca autem diuina fuerat ara collocata, quæ subter sanctissimas habebat reliquias. Super eam autem peragebatur intemerati corporis & sanguinis Domini, Christi Dei nostri incruentū mysterium. In eadem verò arca erat paruū foramen, quod etiam stat nunc usq; in hodiernum diem, quod intus ferre potest quasi manus hominis magnitudinem. In qua cum ego quoque indignus aliquando ausus essem manum inferre, & loculum tetigissem, sensi bonum odorē, & gratiam apprehendi. Dicam autem causam quoque foraminis, quod diuino consilio & prouidentia factū est. Quando eius venerabiles & miraculorum effectrices reliquiæ erant Chalcedone, cum impij Persæ eum locum occupassent, in diebus Heraclij Imperatoris, moti inuidia diaboli, quem colebant, cum paleæ & lignorum magnum aceruum circa arcā congersissent, eam statuerunt comburere cum venerabilibus, quæ erant in ipsa, reliquijs. Sed nihil valuit eorum barbaricum & dæmoniacum inceptum, cum Deus, prout scriptum est, seruet